


2/2002

IDIBVS AVGVSTIS

MMII



RVMOR VARIVS



TOMVS 25

FASC. 143

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in ædibus, quibus nomen EDITIONS DU LAC est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	CHF 27.-
In ceteris Europae terris	CHF 32.-
In terris trans maria sitis	US\$ 30.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I
Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)
Estelle (Stella) Gitta
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

RV mittit: Christina Meier-Portner

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam: RVMOR VARIVS,
c/o EDITIONS DU LAC
Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS DU LAC herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS DU LAC

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 300

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse	CHF 27.-
Europa/Europe	CHF 32.-
Uebersee/outre-mer	US\$ 30.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Ulrich Aeschlimann, lic. phil. I
Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)
Estelle Gitta
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout/graphisme et layout:
Estelle Gitta

Druck/impression: Copy Quick, Solothurn

Expédition: Christine Meier-Portner

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition
RVMOR VARIVS, c/o EDITIONS DU LAC,
Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Bankverbindung/institut bancaire:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0



PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Primo libello huius anni vix in lucem edito iam alteram accipitis, nisi forte procul vel prope a patria iter faciatis et otio feriarum fruimini. Nam hoc tempore aestivo multi homines peregrinari solent; alii traminibus ferriviariis utuntur, alii aeroplanis (sperantes se tempore idoneo et loco grato in terram reversuros), alii autoraedis (nonnumquam multas horas in coacervatione autocinetorum plus stantes quam progredientes). Quae difficultates Aeneae nave vehenti non erant, cum a portu Cumae profectus per placidam noctem luna in caelo lucem fundente praeter litus Italicum navigaret et proximo die Aurora apparente in ostium Tiberis fluvii adveniret. Post multos errores, casibus et ventis adversis iactatus tandem Latium, finem itineris, pervenerat.

Vobis propono illos pulcherrimos versus, quibus Vergilius poeta hoc iter nocturnum et adventum in Latio descripsit, septimo Aeneidis libro inunte:

Aspirant aerae in noctem nec candida cursus
luna negat, splendet tremulo sub lumine pontus.
Proxima Circaeae raduntur litora terrae,
dives inaccessos ubi Solis filia lucos
adsiduo resonat cantu, tectisque superbis
urit odoratam nocturna in lumina cedrum
arguto tenuis percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus iraeque leonum
vincla recusantum et sera sub nocte rudentum,
saetigerique sues atque in praesepibus ursi
saevire ac formae magnorum ululare luporum,
quos hominum ex facie dea saeva potentibus herbis
induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

lamque rubescebat radiis mare et aethere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis,
cum venti posuere omnisque repente resedit
flatus, et in lento luctantur marmore tonsae.

Atque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum
 prospicit. Hunc inter fluvio Tiberinus amoeno
 verticibus rapidis et multa flavus harena
 in mare prorumpit. Varias circumque supraque
 adsuetae ripis volucres et fluminis alveo
 aethera mulcebant cantu lucoque volabant.
 Flectere iter sociis terraeque advertere proras
 imperat et laetus fluvio succedit opaco.

(Vergilius, Aen. VII, 8-20, 25-36)

Valete!



Daniel Weissmann

SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis (III fuerunt) sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:

Brian R. Bishop
 155 Leighton Avenue
 Leigh-on-Sea (Essex)
 SS9 1PX Britannia

secundum praemium:

Max. S. Müller-de Vries
 Chapfstr. 394
 8214 Gächlingen

tertium praemium:

Ursula Schwenk
 Aehrenweg 13
 5430 Wettingen

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!



F	A	M	U	L	I
A	D	E	R	A	S
M	E	N	T	I	S
U	R	T	I	C	A
L	A	I	C	A	E
I	S	S	A	E	I

Rumoris Varii domus editoria




Quid lingua Latina in operibus nostrae aetatis musicis valeat Quarta pars: Christophorus Penderecki et Carolus Orff

Modulatori melodiarum igitur Polono primo omnium contigit, ut opera Passionem Domini continentia et concinentia ex vinculis religionum solveret itaque coniungeret, ut dispositio partium esset hereditas alterius, lingua Latina alterius hereditas. Quo accedit, quod Penderecki opus suum conficiebat eodem tempore, quo Ecclesia Catholica lingua Latina se abdicabat. Ut in operibus Igorii Strawinsky vel Caroli Orff usus linguae Latinae animos hominum minime offendit, ita Penderecki fortasse non tantum profecisset, si aliam linguam ad opus suum conficiendum adhibuisset; nam soni instrumentorum et vocum inauditi lingua Latina, quae erat in canticis Christianis semper usitata, lepidissime compensantur. Eandem vim linguae Latinae etiam in opere illo invenimus, quod *Dies irae. Oratorium ob memoriam in pernicii castris in Oswihcim necatorum inextinguibilem reddendam* inscribitur. Qui titulus homines adducere potest ut "Sequentiam" illam celeberrimam in officio mortuorum decantandam hoc in opere musicali inesse putent; at mirum in modum Penderecki eam spem fefellit. Adhibuit enim carmina nostrae aetatis, quae Latine vertenda curavit et cum versibus ex Sancti Ioannis *Apocalypsi* et ex Aeschylus *Eumenidibus* sumptis coniunxit. Quo factum est, ut carmina lingua Polonica vel lingua Gallica confecta quasi in monumento quodam ponerentur simulque sacrentur. Cuius operis prima pars nil nisi carmina Polonica et Gallica a Tito Górski Latine versa continet. Quorum tituli ad facinora nefariosissima spectant, quae in castellis pernicii ad Auschwitz et alibi sitis per multos annos committentur. Poetarum nomina saltem nominabo, qui sunt Ladislaus Broniecki, Ludovicus Aragon, Taddeus Rozewicz, Paulus Valéry. Ut habeas e carminibus Latine versis exemplum quoddam, primum carmen addo:

Corpora parvulorum

Ab ustrinarum fundo

*Provolabunt
 Cursu super historiam tendentia.
 Corpora iuvenum,
 Corpora puellarum
 Cum spinarum coronis
 Venient undique.
 Corpora virorum
 A camporum coemeteriis
 Victum properabunt
 Et libera fient.*



Quibus verbis intellegi potest poetam efficere voluisse, ut carmen suum precibus Christianis, quae litaniae nominantur, simillimum esset. Quae preces cum sonum proprium efficere soleant murmurantium similem, Penderecki cantilenas multiplices iterum atque iterum talem in litaniae sonum se effundere sinit. Etiam in partis tertiae fine, ubi de morte triumphatur illis verbis "Absorpta est mors in victoria", chorus prima totius operis verba tamquam monentia murmurando adicit.


Secunda autem pars verba *Apocalypsis* et canticum Furiarum ex Aeschylus *Eumenidibus* sumptum continet. Quae cum audiveris, fortasse Adriani Leverkühn *Apocalypsin cum figuris* recordabere, quam Thomas Mann in libro, qui "Doktor Faustus" inscribitur, verbis aptissimis depinxit, quamquam tales sonos ipse nondum audiverat.

Tertia denique pars, quae est brevissima, Sancti Apostoli Pauli ad Corinthios epistulae verba continet, ad quae accedunt aliqua ex *Apocalypsi* verba, denique versus ex Pauli Valéry carmine sumptus, quod *Sepulcretum marinum* inscribitur.

Cum Strawinsky tum Penderecki lingua Latina eam ob rem usi sunt, ut opera sua tamquam monumenta illustria redderent. Quorum ille monumentum quasi antiquum et remotum restruxit, hic monumentum novum et propinquum aedificavit. Apud Christophorum Penderecki non est tabula ficta quaedam, quam in monumento positam esse videmus, sed sunt res foedissime gestae, omnium facinorum sceleratissima, quorum semper recordari debemus, ne iterum fiant. Quo fit, ut Penderecki in textu componendo Igorio Strawinsky, in hominibus admonendis Dallapiccolae comparandus sit.

Qui omnes tamen ad unam vim linguae Latinae spectaverunt, cum textus composuerunt, quae est vis prisca antiquitatis et Christianitatis, cuius ope monumenta sive pro-fana sive sacra struebant. Alteram vim apud Carolum Orff invenimus, qui etiam vim magicam ut ita dicam linguae Latinae inesse cognovit. Carolus ille Orff omnium, quos melodiarum inventores hic tractavi, linguarum antiquarum et recentium adhibendarum peritissimus est. Non modo Latine, sed etiam Graece, Germanice, immo vero Bavarice in operibus suis loquitur. Ac primum quidem carmina Catulli arte musica donavit, deinde e carminibus Buranis, quae supra memoravi, elegit aliquot carmina, ut sonis musicis aptissime afficeret, quo effecit, ut totus mundus hoc in opere audiendo maxime iam pridem delectaretur. Quorum carminum textus quamvis sint profani tamen carminibus Christianis simillimi sunt, quod apparet vel ex litania omnium qui bibere sciant, vel ex psalmo Abbatis Cucaniensis ebrii iucundissimo; quo fit ut etiam modos antiquos sive Gregorianos adhibuerit, velut in carmine quod est de veris laeta facie vel de sole omnia temperanti. Unde exorsus Orff ad carmina Latina antiqua revertit. Ex Catulli carminibus elegit illa, quae quasi amorem Catulli et Lesbiae ab initio usque ad finem narrant. Quae carmina Carolus Orff ludo cuidam iuvenum iuencularumque inseruit, qui amore inflammati a senibus tristibus exemplo Catulli admonentur, ne nimis amori indulgeant. Attamen amare non desinunt. Cui ludo iuvenum iuencularum Orff ipse verba praebuit, quibus demonstravit se et doctissime et lepidissime ex fonte linguae haurire potuisse ea, quae sibi opus essent. Explicant enim vicissim verba sonos sonique verba, quo fit ut figurae verborum elegantissimae hoc ex ludo nascantur:

*Tu mihi cara, mi cara amicula,
 corulculum es.
 O tui oculi, ocelli lucidi,
 fulgurant, efferunt
 me velut specula.
 O tua blandula, blanda, blandicula,
 tua labella ad ludum prolectant.
 O tua lingula usque perniciter*



vibrans ut vipera.

*O tuae mammulae, mammae molliculae,
dulciter turgidae, gemina poma.
Manus est cupida illas prensare.
O tua mentula, cupide saliens,
peni, peniculus, velut pisciculus,
is qui desiderat tuam fonticulam.
Manus est cupida illam prensare.*



Sed haec hactenus. Qui modus verba ac melodias componendi Carolo Orff proprius est; lingua sonusque se vicissim generant mirum, ne dicam magicum in modum. Habent igitur carmina illa vim quandam, quae efficit, ut iure *carmina* vocentur. Hoc apparet maxime ex tribus operibus theatralibus, quae *Ludus de Nato Infante Mirificus*, *Comoedia de Christi Resurrectione*, *De Temporum Fine Comoedia* inscribuntur. Varnerius Thomas, cui opera Caroli Orff sunt et notissima et spectatissima, ad ludos explicandos haec fere scripsit:

Lingua Latina primum est vox caeli, quae oritur ex lingua librorum divinorum et liturgiae. Canunt igitur angeli Latine, quorum invocationes et iubilationes hymnis Christianis sunt simillimae. Lingua liturgica etiam in cantu puerorum adhuc nive absconditorum resonat, resonant nomina florum dormientium et pastorum mirantium verba Latina verbis vernaculis immixta. Mirum autem est, quod linguae liturgicae vis etiam in oppositis rebus apparet, velut in execrationibus, devotionibus, incantationibus, fascinationibus. Strigae enim tempestates, noctes, glacies, nives, quibus impediatur, ne Christus nascatur, Latinorum verborum compotissimae incantant¹.

Affero autem hic verba quaedam strigarum, quibus naturam totam exhortentur, ne Christum nasci sinant:

*Nox, nox, gelida nox!
Nox hiberna! Nox hiemalis! Vis infernalis.
Nubes, nives, nubes et nives,
nubium agmina! Nives, nives,*

exaggeratae, nivalis tumuli!

*Vortex, vortex,
vortex procella!
Turbo turbidus,
turbellae turbidae!
Vasta, vasta,
vasta, vastate!
Devastate, pervastate, disturbate,
perturbate, dissipate, dispersate
semitas, tramites, calles, verticula,
actus, limites omnia compita,
bivia, trivium, quadrivia,
omnia divortia,
omnia milliaria
pontes, ponticulos!
Nex, nex frigida nex!
Misera mors,
immane excidium omni vitae!
Vae, vae, vae, vae, vae,
Vae, vae, vae, vae, vae!!*




Iam ad finem pervenimus. Spectavi quidem imprimis ad illos melodiarum inventores, a quibus ars musica nostrae aetatis maxime est formata et innovata. Quorum operum quodvis monumentum quoddam est. Nam in arte musica nostri saeculi res ita se habere videtur, ut, sicut opera vocalia vivaciora videntur quam opera instrumentalia, ita illa opera, quae linguam Latinam adhibent, vivaciora illis videantur, quibus textus vernacula lingua compositus materiam praebet. Quarum rerum causas satis demonstrasse me puto.

Werner Schubert
Heidelbergensis

¹ Varnerius Thomas, "In entwurzelter Zeit..." Die Antike im Musiktheater Carl Orffs", in: M. von Albrecht / W. Schubert, *Musik in Antike und Neuzeit*, Frankfurt/M., Bern, New York 1987, 238 sq.

Proverbia Hispanica



Perro que mucho ladra, poco muerde.

Latrans multum canis paulum mordet.

*

La tela de araña al ratón suelta y a la mosca apaña.

Araneae tela murem omittit et muscam capit.

*

Donde no me llaman, no hago falta.

Ubi me non advocant, me praesente opus non est.

*

El reinador no quiere par.

Regnans parem non amat.

*

Dame dineros, no me des consejo.

Argentum mihi des, non consilium.

El lobo pierde los dientes, mas no las mientes.

Lupus dentes quidem amittit, non autem mentem.



Quien malas mañanas ha, tarde o nunca las perderá.

Ille, cui tempora matutina sunt mala, tarde vel numquam eis liberabitur.

*

Como el caracol, cuanto tiene trae auestas.

Sicut cochlea, quanta ei sunt, dorso portat.

*

Amigo de todos y de ninguno, todo es uno.

Amicus omnium et nullius idem est.

La cruz en los pechos y el diablo en los hechos.

In pectore crux et in rebus agendis diabolus.

*

Echate a enfermar, verás quien te quiere bien o quien te quiere mal.

Aegrescas, et videbis, qui te bene aut qui te male amat.

*

La mierda cuanto más la hurgan, más hiede.

Eo magis merda foetet, quo magis eam agitant.

*

Hablar de la caza y comprar en la plaza.

Loqui de venatione et emere in foro.

In Latinum vertit Daniel Weissmann



HOMINES NON SINE ANIMI SUI CAPTIVITATE PRAEDIA ATQUE MANCIPIA POSSIDERE


Dominantur metalla dominantibus! Lex requirit ab homine iustitiam, cum sit iustitiae regula. Homo vero propter carnis infirmitatem non potest praestare eam iustitiam, quam poscit lex, nec potest per legem iustificari. Difficile diu illigata solvuntur; nempe iustitia saepe inhumana, quia humana est. Mali qui pauperibus invidiam inicere quasi ratione quadam conantur negant ad illos pertinere quoquo modo caritatem, aut cuiquam illo die, cum tandem iustitia regnet, aliorum benevolentia opus futurum esse. Tempus utinam re vera sit unquam, quo nulli iam pauperes in terris erunt! Attamen semper dolebunt aliqui.

Antiqui, cum gentes quae per populum regebantur ad virtutem educendas necessarium ducerent, ut eam animis inicerent, instituta fecerunt mirabilia. Itaque rogat Montesquieu nonnihil animadvertas quam magno praediti ingenio legum scriptores illi se sapientiam suam, si ritus moresque omnes offenderent omnesque permiscerent virtutes, generi humano ostenturos intellexerint. Nam Lycurgus, cum furto iustitiam et gravissima servitute summam libertatem et atrocissimis affectibus maximam moderationem misceret, firmiter urbem suam fundavit. Cui et opes omnes et artes et mercaturam et pecuniam et moenia detrahare visus est: laudis amore flagrantem, non sperant se vita meliore usuros; naturales habent affectus, nec quisquam apud eos aut filius aut coniux aut pater est: etiam e castitate verecundia detrahitur. His autem viis et ad magnitudinem et ad gloriam Sparta ducitur, sed ea institutorum efficientia ut nihil contra eam proeliis secundis quis adipisceretur, nisi et disciplina eius sublata tandem esset. Est igitur eius qui leges scribit civium ingenium sequi, ubi ipsi regendae rei publicae rationi id non repugnat. "Nihil enim melius", Montesquieu aiebat, "quam quod liberi et secundum naturam nostram agimus". Lycurgus tamen mortalis est homo, non deus ex altissimo caelo regnorum omnium gubernacula tenens. Deus autem secundum Bossuet "omnium animos in sua dextra habet". Quod si legum scriptores, his sapientiam providentiamque suam ita mittit, ut communibus civitatum malis occurrentes, quietis publicae fundamenta

ponant. Etenim hominum prudentiam semper aliqua parte angustam plane perspectam habet; quam quidem et luce illustrat sua et latiore ei campum aperit, postea, propriis obscuritatibus permissam et caecam factam, praecipitem deicit; sic eam per semet ipsam perturbat, ut suis argutiis involvatur impediaturque et cautiones tandem suas pro laqueis habeat.

Iniuria persequenda est. Is tamen qui alicuius sanguine alicui parentat non ultor est, sed interfecto. Anno MCDLXIV creditor a debitore non solutus sibi refert mercedem. In criminum libellis legimus haec:

§ IX (fol. 3 v) "Item super eo quod premissis non obstantibus quinqmo eis penitus spretis et contemptis supranominati Nycolaus



(fol. 4 r) de Sarnatal et sui complices inquisiti de proxime decurso mense octobris auscere et de facto appensato ac ex impreysia super hoc precogitata Deum et justitiam indebite offendere non verentes congregationem armigerorum usque ad numerum tercentum personarum vel circa eorum privata auctoritate fecerunt et invicem congregaverunt. Deinde patriam Chablasii prefati domini nostri ducis. Et multa loca eiusdem hostili et predonico ac sedicioso more, nulla a prefato domino nostra seu persona pro eo super hoc potestate habente petita vel obtenta licencia, vi et de facto et nulla precedenti causa, saltim legitima invaserunt et aggressi fuerunt subdictos memorati illustrissimi domini nostri ducis ac eorum bona capiando, verberando, forragiando et deportando, arrasinando et alias male et inique pertractando In spretum et villipendium ac contemptum prefati illustrissimum domini nostri ducis sueque juridicionis predictae penas juris et alias super hec ut

premissum est adiectas commictere non verentes ac in illis totaliter incidendo. Et sic est notorium et manifestum et est publica vox et fama.

de farnat. Et sui complice Inquisit. de pugnare
 deorsu mense octobris. cluisti et de facto appensat
 de qm pugnata Super hor pugnata / Drum et
 Injustiam Indebite offendit non verentur Cong
 gationem Armigerorum. usq ad Numeru Trecentu
 personaru vel circa / eorum privata auctoritate
 fecerunt / et Inuicem congregauerunt. Deinde
 Patnam Chaltasi prefati dno nro ducis. Et
 multa loca castrorum. hostia et predomio / ac
 seducio moro / Nulla dno prefato dno nostra
 seu persona. pro eo Super hor pugnata habere
 potest / vel obtenta gratia. Et de facto
 et nulla pugnata causa. saltem licentia
 Inuaserunt et aggressi fuerunt subdito
 memorati Illustrissim dno nro ducis. de corp.
 . Item. Capiendo. verberando. foragando
 et deportando. diripiando / et alia malo
 et Iniqua pertrahendo. In Spectum et
 Illipondum ac contemptu prefati dno nro
 dno nro ducis. Singq Inuadione pugnata
 . Privata Inuicem et alia super hor nro premissu
 est adiectas commictere non verentur. de In Illis
 totaliter incidendo. Et sic est notorium
 manifestum. Et est publica vox et fama

(§ X) Item super eo quod memorati inquisiti de premissis non contenti mala malis cumulando et ad deteriora prostare¹ non verendo dyabolica persuasione et aliarum motu proprio et de facto accenserunt ad predictum/

Item Super eo. Quod memorati Inquisiti de
 premissis non contenti / mala malis
 cumulando. / Et ad deteriora prostare
 . dyabolica persuasione / et aliarum motu proprio
 et de facto. accenserunt. ad predictum

(f. 4 v) locum Bacia in quo dictus Rodolphus eius fovebat domicilium animo et intentione eundem Rodolphum si proprius ibidem reperrissent personaliter capidendi appreysonandi, et captivum extra patriam et juridicionem memorati illustrissimi domini nostri ducis ducendi et extrahendi prout de ita faciendi pluries se jactaverunt dicti inquisiti et cum ipsam ipsum Rodolphum ibidem venerunt² non invenerunt dictam domum Bacia sue habitacionem hostilier de facto cum armis, collovriis, ballistris et aliis actillieris quas secum propterea differebant, aggressi fuerunt et eandem violenter intraverunt. Et repertis in eadem domino Rodulpho Asperlin dicti Rodulphi filio fractis que per eos singulis partis et seris portarum archarum armenariorum et aliorum cum clave fermatorum dicti inquisiti et singula bona mobilia ut puta : aurum, argentum moneatum et non noneatum, chippfos, argenteos, ayguerias, sallicuas, gotlearra, potos discos, lectos cum ipsorum munitionibus, ustensilia domus et coquine necnon cathenas aureas, tissutos garnitos argento, annullos aureos, vestes, ornamenta que altaris et libros divino deputato servicio et alia dicte nobilis Jaquemeti jocalia necnon confessiones debitorum, licteras, instrumenta et jura ad opus prefati³ nobilis Rodulphi facienda et facientia. Vinum, bladum, carnes, caseos et alia victualia, arnosia, actillieras et quecunque eiusdem nobilis Rodulphi munimenta ceperunt, furati fuerunt et secum quo voluerunt extra patriam territorium et juridicionem prefai domini nostri ducis deportarunt seu

coram. Ziam. In quo dicitur Rodulphus ruis fouebat
 domum / ammo / et intentione / eundem Rodulph
 se p[ro]p[ri]etatem uerissent / personaliter capiendi
 appropinquandi / Et ceptum / extra patriam et
 iudicacionem. memorat fleuissimam domum in
 ducis ducendi et extrahendi. prout de ista factis
 plures se iudicacionibus dicitur Inquisit. Et cum
 ipsam ip[s]am Rodulphum ibidem uenerunt Non
 iuenerunt / dicitur domum hanc sue habitant
 . hostilitate de facto. cum armis collonatis
 . et alius artillerie / quare serui
 propterea differrebant. Aggressi fuerunt
 Et eandem. uoluntate intraverunt. Et
 . Rupertus in radem. domino Rodulpho ap[osto]lico
 . dicit Rodulphus fleu. fructus q[ui] per eos suis partibus et
 . seruorum portarum archarum Armo
 . natorum. et aliorum cum elime firmare
 . dicit Inquisit. et singula bona mobilia ut
 . puta aurum argentum moneta et no[m]i[n]a
 . Chippoc Argentoc. elygueria. Gallias
 . Cotlaria. potoc distoc. lectos. et ip[s]orum
 . aum curibus. utensilia domus et regie
 . Vernon cathinae aureae / tissitor garmentos
 . Argenteo. Amillos aureos. vestes orna[m]ta
 . q[ui] abraue et libros diuino de p[ro]p[ri]etate suu
 . Et alia dicit Nobilitate fauorem socialia
 . Vernon Confessiones debitorum. literas
 . Infirmos et p[ro]p[ri]etatem. Ad opus prefat[um] d[omi]ni
 . in d[omi]no / nobilitate Rodulphus factum et firmum
 . d[omi]ni h[ab]itum Carue. rufos. et alia utriusque
 . Armosa. Artillerias. et quere[m]q[ue] rurs[us]

Nobilitate Rodulphus agum[m]enta / ceptum
 fuerat fuerunt. Et serui. quo uoluerunt
 Extrapatiam. Patrim[onium] et iudicacionem
 prefat[um] d[omi]ni uol[untate] ducis deportarunt. Sen

(f. 5 r) deportati fecerunt vim publicam opus facti furtum que et rapi-
 nam committendo ac tumultum et seditionem in populo facientum que
 in penas juris incidendo. Prout est verum, notorium et manifestum,
 etc.”

Estelle GITTA

Gratias maximas agimus chartariis Gilbert Coutaz et Pierre-Favez, qui tam
 benigne excerptum transcripserunt.

Fons: Processus Bernensium (ACV, C II 199), Archives cantonales vau-
 doises.



Leguntur...
 Haec omnia convertit Alfred Milliod in linguam
 Francogallicam in libro, cui titulus est Processus
 Bernensium. L'invasion de Bex en 1464 (...),
 Geneve, 1911.

SOLUTIONES

Labyrinthicum proverbium (1/02)

Inter os et offam

Ludus: "Non lapis artatur musco, qui saepe rotatur" (5+6/01)

- 1=N 2=I 3=S 4=U 5=G 6=T 7=R 8=A 9=X 10=D 11=C
- 12=E 13=P 14=M 15=O

Proverbium: Nisi ungitur axis, tardius inceptum continuatur iter

A = clavis accensiva
B = vitriterstum
C = retrovisorium
D = gyrorum index

E = tachymetrum
F = rota moderatrix
G = incitatum
H = index benzini

I = refrigeratorium II = cylindrus
III = biella IV = asser cammius

Estelle GITTA

Quis sit diurnarius



Diurnarius mediocri loco ortus est, sed a principibus admittitur; non doctus est, sed cum doctis commercium habet; parvae virtutis est, sed viros summae virtutis novit; ingenio non praeditus est, sed linguam habet, qua pro interprete utatur, pedes, quibus aliunde alio feratur. Ad hoc natus est, ut ultra citro discurrat, ut auditas ex aliis condiciones referat, nonnullas sua sponte proponat, ut, ultra mandata progressus, a mandante improbetur, ut eos in gratiam inter se reducat, qui primo congressu ad iurgium venerint, ut unam rem feliciter, sexcentas male gerat, ut omnem sibi laudem boni eventus asserat, odium infelicis in alios demoveat. Communes rumores, fabellas per urbem narratas novit; nec ipse quidquam agit, sed quidquid alii egerint aut refert aut audit, famigerator est; ipsa domuum arcana cognita habet; maioribus etiam mysteriis immiscetur: tibi rationem reddit cur ille eiciatur, cur hic revocatus sit; plane perspexit quibus de causis et fratres illi duo disiuncti sint et regni duo ministri subito discesserint.

Rettulit Stella GITTA

ROMULUS MAGNUS

Friderici DÜRRENMATT (1921-1990) Helvetii narratoris et comediographi ingeniosi ROMULUS MAGNUS (“Romulus der Grosse”) comoedia historica fidei historicae contraria quattuor actibus scripta, anno 1948 primum acta, annis 1958 et 1964 retractata, anno 2000 a Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversa.

Comoediae pars quinta

AEMILIANUS: Amasne Horatium? Scribisne Italiae elocutione optima?

TULLIUS ROTUNDUS: Sum iurisconsultus.

AEMILIANUS: Ego Horatium amaveram. Optima elocutione totius Italia scripseram.

TULLIUS ROTUNDUS: Tun’ es poeta?

AEMILIANUS: Animans fueram altioris cultus civilis.

TULLIUS ROTUNDUS: Ergo perge scribere, perge poetari. Caro vincitur spiritu.

AEMILIANUS: Ibi unde veni, spiritus victus est a carnificibus.

Gallinae denuo gracillant. Denuo huc illuc alis plausitant. A dextris praeter villam Rea una cum Phylace histrione venit.

REA: (SOPHOCLES *Antigone*, 806-810)

“Ορατ’ ἐμ’, ὦ γὰς πατρίας πολῖται,

τὰν νεατὰν ὁδὸν

στειχουσαν, νεατὸν δὲ φεγγὸς λευσσουσαν ἀελίου,

κουποτ’ αὐθις

SPURIUS TITUS MAMMA: Nunc non patior classicos. Alioquin statim in loco obdormiscam!

Titubans exit sinistrorsum.

PHYLAX: Perge, principissa, vehementius, magis dramatice! Οἱμοὶ γελῶμαι -

REA: (SOPHOCLES *Antigone*, 839-842)

Οἱμοὶ γελῶμαι. τί με, πρὸς

θεων πατρων,
ουκ ολομεναν υβριζεις,
αλλ' επιφαντον;
(SOPHOCLES *Antigone*, 847-851)
οια φιλων ακλαυτος, οιοις νομοις
προς εργμα τυμβοχωστον ερχομαι
ταφου ποταινιου
ιω δυστανος,
μετοικος ου ζωσιν, ου θανουσιν.
PHYLAX: ου ζωσιν, ου θανουσιν. Respira, principissa, respira. ου
ζωσιν: iterum.
REA: ου ζωσιν, ου θανουσιν.
(SOPHOCLES *Antigone*, 810-816)
...αλλα μ' ο παγκοιτας Αιδας ζωσαν αγει
ταν Αχεροντος
ακταν, ουθ' υμεναιων
εγκληρον, ουτ' επνυμφιδιος
πω με τις υμνος υμνησεν, αλλ' Αχεροντι νυμφευσω.
PHYLAX: αλλ' Αχεροντι νυμφευσω.
REA: αλλ' Αχεροντι νυμφευσω.
PHYLAX: Magis tragice, principissa, magis rhythmice, magis clama
ex intimo corde, magis ex intimo animo. Alioquin nemo credet te
ipsa anima percepisse, quid valerent hi versus immortales. Sentiris
nondum recte animo finxisse Acheronta, deum mortis. Quod
doleo, plurimum doleo. Attende: αλλ' Αχεροντι νυμφευσω.
REA: αλλ' Αχεροντι νυμφευσω.
*Aemilianus surrexit et nunc stat ante principissam declamantem,
quae eum aspectat stupefacta.*
REA: Quid vis?
AEMILIANUS: Quis es?
REA: Ego sum Rea, filia Imperatoris.
AEMILIANUS: Rea, filia Imperatoris. Te non recognoveram. Pulchra
es, sed faciem tuam oblitus sum.
REA: Nosne inter nos noveramus?

AEMILIANUS: Puto me hoc recordari.
REA: Venistin' Ravenna? Lusimusne inter nos, cum essemus
parvuli? AEMILIANUS: Inter nos lusimus, cum essem homo.
REA: Nonne vis mihi dicere, quis voceris?
AEMILIANUS: Nomen meum inscriptum est manui meae sinistrae.
REA: Quam monstra mihi.
Ille porrigit manum sinistram.
REA: Oh, horribilis est manus tua!
AEMILIANUS: Vin' retraham?
REA: Non iam patior eam!
Se avertit.
AEMILIANUS: Si ita, numquam scies, quis ego sim.
Manum iterum abdit.
REA: Da mihi manum tuam.
*Rea porrigit manum suam dextram. Aemilianus sinistram suam in
Reae manum imponit.*
REA: Ecce anulus! Anulus Aemiliani!
AEMILIANUS: Anulus sponsi tui.
REA: Mortuus est.
AEMILIANUS: Crepuit medius.
REA: Nonnullis locis caro super anulum crevit.
Oculis emissiciis aspectat manum suae impositam.
AEMILIANUS: Ille mecum communicat carnem meam vitiatam.
REA: Aemiliane! Tu es Aemilianus!
AEMILIANUS: Qui fui.
REA: Te non recognosco, Aemiliane.
Puella virum aspectat oculis torpidis.
AEMILIANUS: Numquam me recognosces, filia Imperatoris.
In loco constantes inter se aspectant.
REA: Per tres annos te exspectavi.
AEMILIANUS: Captivis Germanorum tres anni videntur aeternitas.
Tam diu ne exspectetur homo.
REA: Nunc ades. Veni nunc ad me in domum patris mei.
AEMILIANUS: Germani sunt venturi.

REA: Quod scimus.

AEMILIANUS: Ergo i et cape cultrum.

Principissa eum territa aspectat oculis emissiciis.

REA: Quid sentis, Aemiliane?

AEMILIANUS: Sentio mulierem posse cultro pugnare.

REA: Nos non iam possumus pugnare. Exercitus Romanus devictus est. Non iam habemus milites.

AEMILIANUS: Milites sunt homines, et homines possunt pugnare.

Adhuc adsunt multi homines. Mulieres, servi, senes, manci, pueri, administri publici. I, cape cultrum.

REA: Hoc ineptumst, Aemiliane. Necesse est nos ipsos Germanis dedere.

AEMILIANUS: Ego ante tres annos Germanis me dedidi. Quid isti de me fecerunt, filia Imperatoris? I, cape cultrum.

REA: Per tres annos te exspectavi. Diem de die, horam pro hora, et nunc te timeo.

AEMILIANUS: ἀλλ' Ἀχεροντι νυμφευσω. Nonne recitasti hos versus? Qui nunc ad veritatem adducti sunt. I, cape cultrum. I, i!

Rea in domum fugit. Histrionem eam praecipit sequitur.

TULLIUS ROTUNDUS: Marcus Iunius Aemilianus, e captivitate Germanica reversus. Animus meus plurimum commotus est.

AEMILIANUS: Ergo prospera pugnatum, ne commotio tua sit superflua.

TULLIUS ROTUNDUS: Mi care amice, certe gravia tulisti et dignus es respectu, sed ne credas nos in domo imperiali nihil passos esse.

Desidere, accipere unum nuntium adversum post alterum neque adiuvari posse, hoc certe est pessimum omnium, quae viro politico possunt accidere.

A sinistris nuntius citatissimus palatium incurrit.

Comoediae pars sexta in proximo libello sequetur!

Subnoto RV, ut ipse accipiam

(Ich abonniere RV für mich selber

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius

inscriptio cursualis supra indicata est

(Ich abonniere RV als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben

angegeben ist): -----
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte
frankieren

RVMOR VARIVS
C/o EDITIONS DU LAC
Estelle GITTA
Ch. F.-Lehmann 2
1218 Grand-Saconnex


PP/Journal

4702 Oensingen

2/2002

IDIBVS AVGVSTIS

MMII



TOMVS 25

FASC. 143